

Johann Ernst Schaper

**Johannes Ernestus Schaper, Serenissimi Ducis Mecklenburgensium Regentis
Consiliarius Regiminis Et Archiater ... Hodie Academiæ Rostochiensis Rector, in
præsenti Jubilæa Maxime Pentecostalis Festi Solemnitate, Ad Suscipiendum
Religiosissima Cum Devotione Spiritum S. Jubilæi Christianorum In Nov. Test.
Mystici Collatorem Æqve Ac Obsignatorem Gratosissimum ... Academici Cives
... exhortatur**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingii, [1717?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003987400>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

17 17. Pfingst.

A - 1256. 151.

Ms. 1217

JOHANNES ERNESTUS SCHAPER,

SERENISSIMI DUCIS MECKLENBURGENSIVM
REGENTIS CONSILIARIUS, REGIMINIS ET ARCHIATER, MED.
DOCT. EJUSQUE PROF. DUC. PUBL. PRIMAR. ET ORD. TOTI-
US UNIVERSITATIS, COLLEGII DUCALIS, ET FACULT.
SUÆ SENIOR,

HODIE

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS RECTOR,
in præsenti

JUBILÆA MAXIME PENTECOSTA-
LIS FESTI SOLEMNITATE,
AD SUSCIPENDUM RELIGIOSISSIMA CUM DEVOTIONE

SPIRITUM S.

JUBILÆI CHRISTIANORUM
IN NOV. TEST. MYSTICI COL-
LATOREM ÆQVE AC OB-
SIGNATOREM GRATIO-
SISSIMUM,

*Ipsumque Jubilæum Gratiae debitæ
observantia recolendum*

Omnes & singulos Ordinis Academicí Civitatis
in primis vero Studiosos

Programmate hoc usitato, ex officio serio & peramanter exhortatur.



ROSTOCHII,

Typis Joh. Wepplingii, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1256 107



Elebramus nunc iterum, CIVES
OMNIUM ORDINUM HO-
NORA TISSIMI, sub variis, un-
diquaque nobis in hac miseriarum
valle, omni fere tempore incum-
bentibus adversitatibus, Clemen-
tissime a Deo hucusque conser-
vati, gloriofissimum illud Sancti-
ficatoris nostri pretiosissimi Festum, & qvidem in se-
culi hujus, quo vivimus, decimi octavi annuo circulo,
eodemque decimo & septimo, qui secularis est & jubi-
læus, propter restorationem corruptæ miserrimum in
modum veritatis cœlestis, centum abhinc annis ab ex-
citato hunc in finem divinitus organo, eoqve selecto, Mar-
tino Lutherø, omnium qvotqvot inaudiverunt, maxima
cum admiratione suscep tam, & subseqvente illius tem-
poris decursu inter innumer as fere easqve truculentas
plane & vere Satanic as persecutio nes æqve ac sufflamina-
tiones, potentissimo Dei T. O. M. præsidio, auxilio-
ve præsentissimo, victoriōse feliciterqve consumma-
tam. Revocavit mihi in memoriam, annus ille, in quo
versamur, jubilæus, vulgo dictus Evangelicus, simili
appellationis genere Evangelicum nuncupatum vere
Catholicum Novi Testamenti Jubilæum, cumq; anniver-
sarium qvoddam circa Festum insinuatum conscribere
tenerer commonitorium, occasionem mihi suppedita-
vit, ut hoc ipsum, tanquam excellentissimum Spiritus
Sancti signaculum, pro argumento scriptioni præsenti
substernerem, fundamentum autem ex illustri qvodam
Codicis Biblici oraculo repererem, pro ratione licita
illustramentum ejus deducerem, & qvod destinatum
non caperet pagellarum spatiū, omnium Vestrorum;
qui sacra hæc mea legitim & perpenditis monita, ulteri-
ori-

oribus Spiritui Sancto dicatis meditationibus, ea, qva par-
est, diligentia commendarem. Sanctissimum Spiritum a Pa-
tre & Filio incomprehensibili ratione ab æterno proceden-
tem, ex consilio Patris Cœlestis, in Filio Mediatore con-
qvievisse, & per ejusdem Propheticam institutionem, Sa-
cerdotalem sanctificationem & Regalem liberationem, dif-
fudisse qvam copiosissime in Ecclesiam Christi genuinam
gratiosissimum illud Fidelium Novi Testamenti Jubilæum,
ponderosis maxime verbis luculentissimum in modum te-
statur, Divinus Veteris Testamenti Evangelista, Esaias Pro-
pheta, qvando Prophetiæ suæ Divinissimæ Cap. LXI. 1. 2.
Messiam οἰάρθεωτον, interalia, ita introducit sermocinan-
tem: *Spiritus Domini, Domini, est super me, eo quod unxerit*
me Jehovah ad evangelizandum mansuetis, (humilibus) & mi-
serit me ad obligandum fractos sive contritos corde, ad predi-
candum captiuis libertatem, & vincitis apertione omnimodam,
& ad proclamandum annum bene placiti (gratia) Jehovæ. Nec
est quod obvertat quis cum Grotio aliisque eundem sectan-
tibus, per annum seu tempus benevolentiae Domini hoc
in loco nihil aliud denotari, qvam tempus illud naturale
seu Physicum, quo imminente Deus liberaturus gratio-
se populum suum Israeliticum e captivitate, qva diutissime
fuerit detentus, Babylonica: cum & ipse Salvator noster
longe dulcissimus (Luc. IV. 17--21.) & Servus ejusdem ve-
re Apostolicus, Paulus, (2. Cor. VI. 2.) manifestissimis
nos edoceant testimoniis, non alium hoc loco significari
annum, h. e. non aliud tempus, qvam spirituale & my-
sticum, *Annum acceptum Domini, Tempus gratiae Divina seu*
beneplaciti Divini, Tempus salutis, universum scil. Veteris
& Novi Testamenti curriculum, quod Deus aperiendo fe-
nestras coeli & salutarem imbre gratiæ descendere facien-
do innumeris & ineffabilibus beneficiis, per & propter
meritum Filii sui collatis, illustrissimum in modum coro-

) (2

navit.

navit. Quemadmodum vero jam olim in Christo & per Christum, dum adhuc in his terris conversaretur, per prædicationem propria in persona factam & postmodum ipso in Cœlum sublato, per prædicationem, factam per Apostolos, Apostolicos Viros, & genuinos qvosvis Doctores, in omnium, qvos isto tempore collegerat sibi, fidelium animis potenter obsignavit Spiritus Sanctus, annum hunc cogitationis sive desiderii coram Jehovah. (ut Chaldæus eum reddit Paraphrastes) annum hunc (ut Syrus vertit Paraphrastes) convivalem & hospitalem Domino; ita & eundem quoque jam dum hodie efficaciter obsignat per & propter Christi meritum, in animis omnium suorum & singulorum fidelium, qui prædicationem anni istius gratiosi, Sacris in congressibus per sinceros veræ Ecclesiæ a Deo hunc in finem præservatos Ministros publica ratione institutam, debita cum promptitudine & devotione iusciplint, suscepitam incorrupta mente & memoria constanti custodiunt, custoditamque intemeratae fidei fructibus & integræ vitae operibus egregie demonstrant. Insinuat nobis Spiritus Sanctus & applicat Jubileum Christianorum N. T. Evangelicum, quando instillat nobis per collationem verbi sui & per suos in Ecclesia Præcones instillare nobis luculenter curat, esse hoc Jubileum antitypicum, h. e. typo Jubilæi V. T. legalis vulgo dicti inter alia præsignificatum, tum qvoad auctorem illud ipsum instituentem & ad solemnem utriusque celebrationem Clementer invitantem, Deum scil. Ter Optimum Maximum: tum qvoad promulgatorem illud ipsum promoventem, qui in V. T. Magnus erat Propheta, in N. T. Summus est Propheta, totius mundi Redemptor: tum qvoad Buccinam seu tubam in eodem clangentem, quæ in V. T. erat artificialis, eaqve vel cornea, vel juxta alias argentea, in N. T. est spiritualis, præconium nempe Virorum eiusdem, aliorumque Ministrorum Divinorum: tum qvoad debita

bita condonantem remissionem, qvæ Fratres inter in V. T.
vigebat modo corporali , in N.T. Christianos inter modo
spirituali: tum qvoad bona possessa reddentem restitutio-
nem, qvæ in V. T. ad temporalia pertinuit bona, in N. T. ad
bona pertinet spiritualia: tum qvoad Servorum libertatem
procurantem emancipationem, qvæ in V. T. redonatione
absolvebatur libertatis œconomicæ, in N. T. autem absolu-
vitur redonatione libertatis gratiæ in tempore & gloriæ in
æternitate. Offert nobis porro Spiritus Sanctus per verbum
pacis & salutis, illudqve Evangelizantes Doctores suos at-
qve Ministros, Jubileum N. T. Esianum, & debitum in mo-
dum suscipientibus actu ipso confert, tanquam Christologicum,
h.e in qvo comparantis illud Jesu Christi meritum Salvi-
ficium omni omnino tempore commemorandum veraqve
fide retinendum , salutaris nempe conceptionis , per qvam
conceptionem nostram in peccatis factam nobiliter purifica-
vit: salutaris nativitatis , per qvam nativitatem nostram
peccato contaminatam efficaciter emundavit : salutaris cir-
cumcisionis, per qvam a jugo legis ceremonialis faviter nos
liberavit : salutaris per totam vitam obedientiæ , per qvam
nostram in tota vita inobedientiam clementer expiavit :
salutaris ipsius baptismi , per qvem baptismum nostrum
mirabiliter plane sanctificavit : salutaris Evangelii prædi-
cationis , per qvam viam veritatis & beatitudinis cœlestis
incomparabiliter demonstravit: salutaris passionis & mor-
tis , per qvam ab æterna tortura & morte in æternum nos
redemit: salutaris sepulturæ , per qvam sepulchra nostra
in dormitoria prorsus egregie convertit: salutaris ad infer-
nos descensus, per qvem infernum victoriose destruxit: sa-
lutaris resurrectionis , per qvam resurrectionem ad vitam
beatam gloriose nobis promeruit: salutaris ad cœlum ascen-
sionis, per qvam clausam Paradisi januam nobis gratiose a-
peruit: salutaris ad dextram Dei sessionis, per qvam gloriæ
æternæ consortium lætanter nobis impetravit. Locupletat

etiam Spiritus Sanctus Jubilæum verorum Christicolarum in
N. T. Mysticum idque perpetuum, per fideles domus suæ
gratiosæ Oeconomos, & largiter per verbum suum gratiæ
& vitæ obfirmat in animis nostris juste illud ipsum custodi-
entibus, tanquam *Jubileum* (ut sum natim complector ea
qvæ dicenda restant) *Plerophoristicum*, h. e. gratiæ divinæ in
Christo & benedictionis omnigenæ plenitudine refertum,
gratiæ nempe ab æterno nos ad vitam gratiæ & gloriæ eli-
gentis, in tempore vocantis & ad ultimum usque vitæ ha-
litum revocantis, compunctione cordis, illuminationeque
intellecitus & voluntatis regenerantis sive convertentis, re-
missione peccatorum & imputatione justitiae Christi justifi-
cantis, copiosiori intellectus illustratione, concupiscentia-
rum carnis mortificatione, & Bonorum Operum exercitio,
renovantis nos & sanctificantis, perseverantia in fide & san-
ctitate, ut & certitudine ejusdem indubitata inhabitantis,
in Filios suos & hæredes vitæ æternæ nos adoptantis, in o-
mni adversitatum, temptationum, luctationum, genere con-
solantis nos erigentis & præservantis, & tandem vitæ nostræ
curriculum ejusdemq; certamen ad brabeum cœleste, ad co-
ronam usque immarcessibilem, dirigentis æque ac consum-
mantis. Qvæ cum ita se habeant, CIVES OMNIUM
ORDINUM HONORATISSIMI, & tantum præterea exi-
stat Angelorum Beatorum Jubilæi hujus Christianorum in
N. T. Esaiani æstimium, ut non tantum primo statim, quo
cœpit, initio, illustri plane ratione illud ipsum publicaver-
int, Gaudium Magnū, Magnum Jubilæum, omnibus genti-
bus Evangelizando, sed & ab insultationibus Turbatoris ejus-
dem infernalis, Draconis ingentis, ejusq; Tartareæ phalangis,
omni, quo viguit, tempore, potentissime vindicarunt, felici-
cissimeque propugnarunt; si tantum, inquam existit & An-
gelorum Sanctorum Jubilæi Christiani (& extabit ad finem
usque seculi) æstimium, qvanta qvælo Vos, debet esse no-
stra ejusdem veneratio, qvanta observantia, qvanta memo-
ria,

ria, qvanta custodia, tam ratione Jubilæi ipsius, qvod, ut
audivimus, omnia & singula beneficia, merito Christi par-
ta, qvocunqve nomine veniunt, inexhausta nobis præbet
abundantia, quam ratione obsignantis idem illud in cordi-
bus nostris Sanctissimi Spiritus, & adversus hostium qvo-
rumvis technas pariter ac insidias, easqve truculentas, in-
vincibili pacis præsidio communientis. Gaudeamus in Jubi-
læo hoc nostro Christiano, vere Evangelico, vere Catholi-
co, gloriosius omnino in Novo qvam in Veteri Testamento
promulgato, innumerabilia inter gaudiorum argumenta,
de vocatione nostra, ad Jubilæum hoc gratiæ ab initio mundi
jam tum instituta, & ad complementum ejus continuanda:
de promissione gratiæ circa hoc Jubilæum, qvæ Fidelibus
V. T. obtigit in typo, N. T. in facie, illis, in umbra, nobis,
in corpore, illis, in victima, nobis, in forma: de communi-
one gratiæ, qvæ participes nos reddit donorum & bonorum
Jubilæi nostri ineffabilium, & viam nobis pandit desidera-
tam ad communionem futuram gloriæ: de ancora spei præ-
jacentis, eaque secura & firma, ad interius velaminis Jubi-
læi Cœlestis introeunte: de victoriosa illa virtute, qva medi-
ante unam obtinemus victoram super alteram, de hostibus
nostris omnigenis. & cum Summo nostro Victore indivulso
nexu servamur conjuncti: de hereditate gratiæ, in qva &
per qvam hæredes sumus Dei & cohæredes Christi, nec non
hæreditate gloriæ, in qva tanqvam membra cum Capite
nostro conglorificabimur & conregnabimus in æternum.
Obseruemus ita, CIVES MELLITISSIMI, Festum, in quo
degimus, N. T. tempus, idqve Jubilæum, ut semper ante o-
culos nobis quasi positum habeamus Doctorem nostrum
atq; Doctorem longe excellentissimum, SPIRITUM SAN-
CTUM, solemnitatem hanc Jubilæam gratosissima sua præ-
sentia exornantem, & in animis sibi dicatis, testimonio suo,
eoqve maxime abscondito, consolidantem; ut omni, quo
possimus, studio, caveamus, ne contristemus ipsum & Ju-
bilæ.

Jubilæum ejus gaudium, peccatis nostris temere commissis,
aut in Divinam ejus Majestatem, aut in præfectos ab ipso
Superiores honorandos, aut in qvosvis alias Christianas cha-
ritate excipiendo: ut perpetua eaque genuina pœnitentia
(qvippe in qva & cœtera inter documenta verum consistit
Christianorum Jubilæum) a peccatis omnis generis, qvi-
bus ipsum vel per momenta qvævis graviter offendimus,
sangvine Iesu Christi, Agni illius immaculati, emundemus,
sineera Fide ipsum nobis conciliemus, integritate vitæ con-
stanter nobiscum retineamus, curemusqve adeo attente, ut
hac ratione exoptatum in modum possideamus æque ac
celebremus hic in terra Jubilæum gratiæ, ibidemq; in cœ-
lo cum omnibus Sanctis Jubilæum gloriæ, utrobiq; Jubi-
lum illum a pio qvondam Bernhardo in Jubilæum Esaia-
num compositum, hic quidem interrupto læpius, ibi au-
tem nunquam interrumpendo tenore per canticum illud
novum ingeminantes:

Dux virtutum, Dux gloriæ,
Dux insignis victoriæ,
Deus largitor veniæ,
Honor cœlestis patriæ.

Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu nostra gloriatio,
Et unica salvatio.

O fons misericordiæ,
O veræ lumen patriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.

Te cœli chorus prædicat,
Et Tuas laudes replicat:
Deus orbem lætificat,
Et nos sibi pacificat.

Deus in pace imperat,
Qvæ omnem sensum superat:
Hanc nostra mens desiderat,
Et ea frui properat.

Hunc proseqvamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus:
Qui donat nos cœlestibus
Secum perfrui sedibus.

Amen.

P. P. sub Sigillo Rectoratus Academicus, in ipso Obsignatio-
nis Spiritus Sancti Jubilææ Festo, incidente in annum illum
Jubilæum, eumq; Reformationis Evangelicæ secularem

M DCC XVII.




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1003987400/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003987400/phys_0011)

DFG

ria, qvanta custodia, tam ratione Jubilæi ipsius
 audivimus, omnia & singula beneficia, merito
 ta, qvocunqve nomine veniunt, inexhausta ne
 abundantia, quam ratione obsignantis idem illi
 bus nostris Sanctissimi Spiritus, & adversus hosti
 rumvis technas pariter ac insidias, easqve truci
 vincibili pacis præsidio communientis. Gaudeam
 lœ hoc nostro Christiano, vere Evangelico, ve
 co, glorioius omnino in Novo qvamin Veteri T
 promulgato, innumerabilia inter gaudiorum ai
 de vocatione nostra, ad Jubilæum hoc gratiæ ab in
 jam tum instituta, & ad complementum ejus co
 de promissione gratiæ circa hoc Jubilæum, qva
 V. T. obtigit in typo, N. T. in facie, illis, in um
 in corpore, illis, in victima, nobis, in forma: de
 one gratiæ, qvæ participes nos reddit donorum &
 Jubilæi nostri ineffabilium, & viam nobis pand
 tam ad communionem futuram gloriæ: de anco
 jacentis, eaqve secura & firma, ad interius velar
 læi Cœlestis introeunte: de victoria illa virtute
 ante unam obtinemus victoriam super alteram,
 nostris omnigenis. & cum Summo nostro Victo
 nexus servamus conjuncti: de hereditate gratia
 per qvam hæredes sumus Dei & cohæredes Chr
 hæreditate gloriæ, in qva tanqvarn membra
 nostro conglorificabimus & conregnabimus i
 Observemus ita, CIVES MELLITISSIMI, Fes
 degimus, N. T. tempus, idqve Jubilæum, ut ser
 culos nobis qvæsi positum habeamus Doctorem
 atq; Doctorem longe excellentissimum, SPIRIT
 CTUM, solemnitatem hanc Jubilæam gratiofissi
 sentia exornantem, & in animis sibi dicatis, tef
 eoqve maxime abscondito, consolidantem; ut
 possumus, studio, caveamus, ne contristemus



the scale towards document